

carnes. Nam si ejus carnes vermes comedenter ipsius anima magnas pateretur pœnas ; ideoque carnem ejus comedimus, ut ejus anima aliquas non patiatur pœnas. Et sic eis tantum dicere poteram quantum ego volebam quia nunquam aliud credere ipsi volebant nec ab isto ritu discedere quem tenebant.

27. *De Indiâ et xxiv millibus Insularum quas habet.*

Multæ aliæ novitates hic habentur quæ non scribo, nam nisi homo eas videret, eas credere non posset, cum in toto non sint mundo tot et tanta mirabilia quæ sunt in isto regno. Hæc autem scribi feci quæ certus sum, et in nullo dubito quia sicut referto ita est.¹ De² hac insula³ diligenter inquisivi multos qui hoc sciunt et omnes uno ore locuntur et dicunt, quod hæc India bene xxiiii⁴ milia insularum continet sub se, in qua etiam sunt bene lxiiii reges coronæ. Major pars hujus insulæ⁵ bene ab hominibus habitatur. Hic ipsius Indiæ facio finem et nichil de ea dicere volo aliud, sed solum intendo aliquid dicere de India superiori.

28. *Venit Fr. Odoricus ad Indiam Superiorem et Provinciam Manzi.*

Ubi sciendum est quod dum navigarem per mare Oceanum versus Orientem per multas dietas ad illam nobilem provinciam Mansi⁶ ego veni quam Indiam vocamus superiorem.⁷ De ista India quæsivi diligenter Christianos, Sarracenos, ydolatros, omnes officiales magni Canis⁸ qui omnes uno ore loquuntur et dicunt quod provincia Manzi⁹ habet bene duo millia magnarum civitatum, quæ in tantum sunt magnæ illæ civitates quod Trevisium neque Vincentia in ipsarum numérum ponerentur ;¹⁰ unde tanta multitudo est in ista contrata quod apud nos esset incredibile quoddam.¹¹ In ipsa est maxima copia panis, vini, risi, carnium, piscium, omniumque victualium, quibus homines utuntur in mundo. Omnes homines hujus provinciæ sunt artifices¹² et mercatores qui paupertatem quam habeant¹³ dummodo se suis manibus valeant adjuvare nunquam aliquam peterent elemosinam. Hii homines satis sunt corpore pulchri,¹⁴ pallidi tamen, habentes barbam ita raram et longam sicut¹⁵ murilegæ, id est cattæ ; mulieres vero pulcherrimæ de mundo.¹⁶

¹ *Hak.* Ego autem coram Deo nihil hic referto nisi illud de quo certus sum sicut homo certificare poterit.

² *Ven.* has in instead of de.

³ *Far.* De hac India Inferiori (*no doubt Insula is wrong*) sunt aliæ hæc insulæ quæ nominavi et inquisivi multos qui hoc sciunt, etc. ; *Boll.* De magnitudine hujus inferioris Indiæ a multis, etc.

⁴ *Hak.* 4400 ; *Boll.* Viginti quatuor millia.

⁵ *Mus.* istius Indiæ ; so also *Boll.* *Marc.* has queste isole, which indicates the right reading.

⁶ *Mus.* Mansiæ ; *Ven.* et *Far.* Manzi ; *Hak.* Manci ; *Boll.* Manzy.

⁷ *Hak.* quæ India vocatur a Latinis.

⁹ *Mus.* Mancy.

⁸ *Ven.* Chaam.

¹⁰ *Far.* Tarvisium.

¹¹ *Boll.* intra muros ipsarum cuiuslibet possent stare.

¹² *Ven.* artistæ.

¹³ *Mus.* nullam paupertatem habent ; *Boll.* qui numquam depauperantur.

¹⁴ *Hak.* Satis formosi.

¹⁵ *Hak.* rasas et parvas barbas habentes ; *Mus.* raras et parvas sed tamen longas sicut murilegi.

¹⁶ *Mus.* Pulcherrimæ et formosæ ; *Boll.* nimium sunt formosæ.